

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Heinrich Christian Zietz


Disquisitionis Theologicae ...

**Pars Prior : Quomodo Notio De Messia In Animis Apostolorum Sensim
Sensimque Clariorem Acceperit Lucem**

Lubecae: Green, 1792

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819722898>

Band (Druck) Freier  Zugang 



Tc - 3989(1)

QVOMODO
NOTIO DE MESSIA
IN
ANIMIS APOSTOLORVM
SENSIM SENSIMQVE
CLARIOREM ACCEPERIT LVCEM.

DISQVISITIONIS THEOLOGICAE.

PARS PRIOR

AVCTORE

HENRICO CHRISTIANO ZIETZ

REV. MINISTERII LVBEC. CANDIDATO.

LVBECAE

E TYPOGRAPHIA b. g. c. GREEN.
MDCCXCI.

670000

NOTO DE MESSIA

THESSALONICAE

ANIMIGA PASTORVM

SINTISIENSISMO

CLAVILIA RECENSIT RACER

SCOTTUS CANTABRICO

SCOTTUS CANTABRICO

DISCUSSIONIS THEOLOGICAE



ACCOLDE

HEINRICO CHRISTIANO SIETS

RE. MINISTERII TABER. CANDIDATO.

TABERGAE

TYPOGRAPHIA F. G. G. CESTRI

MDCCLXIX

VIRIS
MAXIME COLENDIS
VIRO
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO;
CONSULTISSIMO
IOHANNI CASPARO
LINDENBERG

J. V. D.
ET REIPVBL. LVBEC. SENATORI

ET
VIRO
NOBILISSIMO, DOCTISSIMO,
CONSULTISSIMO
HERRMANNO RODDE

J. V. D.

AIRIS
MAXIME COLLENDIS
HOC SPECIMEN
AIRIS
NOBILISSIMA TANQVA
CONSERVATISSIMA
GRATISSIMI ANIMI DOCUMENTUM
LUDWIGI CAROLI ANNO
LINDENBERG
A.D.
ET RHEINAE LAURE. EMINENTIA
TE
AIRIS
NOBILISSIMO, DOCTISSIMO
CONSERVATISSIMO
HERMANNO RODE
A.D.
PIA MENTE
OFFERT
AVCTOR.

soihoz sigogavni obesatio o anup . aliorum
muc eruditionis suorum diligata oros
-oila chemplum cassis mani cibui sediloup

Vt est in quolibet homine, qui, quum
nullo modo praeditus sit notionibus,
vt aiunt, innatis, a teneris inde discere de-
bet, quae scire cupit, accepta magis magis-
que excolere, clariora reddere atque augere
nouo continuatoque studio indefesso, sic quo-
que in Apostolis res se habebat. Licet enim
essent viri boni ingenii proborumque morum,
tantum tamen aberant ab eruditione magna,
vt multa, quae Jesus illos repetita vice hoc
modo alioue docuerat, non semper penitus
intelligere possent, quamobrem audimus il-
lum de iis quaerentem: *etiamnum vos adhuc
inscii estis?* (Matth. XV, 16. Marc. VII. 18.
cf. Luc. XXIV, 25.), iisque, quum iam mon-
tem oliuarum, vt mortem subiret, ascenderet,
dicentem: *multa adhuc vobis dicenda habe-
rem, sed sustinere nunc non potestis* (Joh.
XVI, 12.). Excepto Paulo, qui a Gamaliele
eruditione Judaica instructus erat ¹⁾, caeteri
Iesu discipuli viri erant, manuum suarum
laboribus sese alentes, quibus occasio defuerat,
multa, quae eruditioni proprie sic dictae annu-
meranda sunt, discendi. Iis scilicet notioni-

A 3 bus

¹⁾ Act. XXII. 3. J. Thalemanni Diff. de eruditione
Pauli Judaica non Graeca. Lips. 1769.



bus de rebus ad religionem spectantibus de-
tractis, quas e paelecto in synagogis codice
sacro magistrorumque institutionibus cum
quolibet iudeao hauserant, nullo modo altio-
ribus disciplinis, nec sacris nec profanis,
se se ab aliis suis discernebant popularibus.
Sapientiam vero Domini nostri, quum ex qua-
libet eius actione, tum ex electione Apostolo-
rum vidimus, ut nempe hoc modo suspicari
nemo possit, discipulos ingenio suo excogi-
tasse, quae postea publice docebant, et ut eo
maiori successu magistri sui doctrinam diuulgare
queant, quum auditoribus facilis esset
conclusio, doctrinam tam puram, tam elati-
tam, tamque rationi conuenientem, altiorem
duxisse originem, quam ab iis, qui eam pro-
fitebantur. In eo vero non minus sapientiam
Iesu conspicimus, quod non subito eodemque
tempore illos omnia, quae scire eos oportebat,
doceret, sed per gradus variosque mo-
dos et omnibus occasionibus commodis reli-
gionis capita cum iis communicaret, ne ni-
mia luce obeoecati deinde nihil penitus intel-
ligerent. Ea, quae populo praesente per fa-
bulas docuerat, explicauit illis domi (Marc.
IV, 34.): et quum viueret in his terris, (quod
obseruat S. V. *Doederlein*²⁾), pleraque do-
cuisse videtur suos, quae ad morum maxime
disciplinam animique correctionem attinent;

post

²⁾ *Instit. Theol. Christ.* Tom. I. §. 18. Obs. I,
p. 43. Ed. V. 1791.

post resurrectionem autem corrigi et augeri curauit cognitionem de statu nouae religionis capitibusque theoreticis et historicis (Act. I, 3. Joh. XVI, 13). Inde etiam ingenuus eorum animus elucet, quod in memorabilibus de vita Jesu Christi, inter quorum auctores sunt Johannes atque Matthaeus ex numero Apostolorum, ingenii sui debilitatem capiendique ea, quae audiebant, difficultatem non renuant celentque, sed libere profiteantur, se non sine magno labore diuinoque auxilio sese a praeorconceptis opinionibus liberare potuisse. Quibus annumeranda est etiam opinio, quam habebant de Messiae regno terrestri et de gloria in illo capienda atque felicitate, quamque fere usque ad Jesu Christi ascensionem in coelum non deponebant (Act. I, 6. Luc. XXIV, 21.). Sensim enim sensimque notio vera de Messia eiusque opere et regno clariorum in iis accipiebat lucem, qua quidem de re paulo accuratius differere nobiscum constituius.

Hac quidem in re discutienda primo disquirere studebimus: *quaenam de Messia notio tempore Jesu Christi inter Judaeos maxime valeret?* deinde videbimus: *quidnam Jesus fecerit, ut huic opinioni de regno eius peruersae contradiceret?* denique ostendere conabimur: *discipulos quoque hac idea affectos fuisse, et quemnam fructum ex hac magistri institutione meliori ceperint.* Haec vero



vero omnia tantum haurienda erunt e locis
N. T. omni diligentia collectis, in quibus
huius rei sit mentio, et in quibus tale quid de
Apostolis narratur, ex quo nonnulla pro re
nostra concludere possumus³⁾. — Non autem
fieri poterit, ut modum atque gradus, qui
bus haec notiones in animis discipulorum Jesu
sensim clariorem acceperint Iucem, per sin-
gula tempora intelligere possimus, quum no-
bis desint fontes, ex quibus hanc idearum
suarum historiam haurire queamus penitus
absolutam. Auctores enim, qui narrationes
de Jesu Christi vita composuerunt, nullo
modo completam de eius discipulorumque
fatis historiam nobis reliquerunt, sed tantum
fragmenta, e quibus, si colligantur atque inter-
se comparentur, aliqua Jesu biographia com-
poni queat. Satis ergo nobis videtur, ex
vestigiis, quae in memorabilibus de vita Jesu
et actis Apostolorum inueniuntur, congestis

³⁾ Quum iam hos locos ipsi legendis N. T. libris
historicis collegeramus, inuenimus quidem, simile
quid scriptum esse a C. G. F. Walch in Diff. de illu-
minatione Apostolorum successiva, quam sub eius
praesidio edidit J. C. Saalfeld Gött. 1758. et
passim a Jo. Ge. Walch Diff. de peccato Apo-
stolorum Jenae 1725; vtramque vero ipsam inspicere
nobis non contigit. Nonnulla huc pertinencia
inueniuntur quoque in Diff. M. Car. Aug. Theoph.
Keil: historia dogmatis de regno Messiae Christi
et Apostolorum aetate ad illustranda N. T. loca
accommode exposita. Diff. priore Lipf. 1781.

quantum fieri poterit, successuam, ut ita dicam, Apostolorum illuminationem persequi et inde historiam idearum de Messia componere.

In constituendis vero notionibus quas Iudei Christi tempore viuentes de Messia eiusque regno et officio habuerint, non loquimur de opinionibus omnium ac singulorum, inter quos nonnulli rectius sensisse de Messia potuerunt, ut postea exempla videbimus Simeonis, Samaritanorum atque Johannis, sed potius de notionibus, quae floruerunt inter maximam populi atque magistrorum partem, quarumque vestigia in eorum adhuc superstitionibus inuenimus libris. Probe quoque distinguenda sunt ideae, quae valuerunt inter hos seriore aetate, ab illis, quae praedominarunt apud hunc populum, quum Seruator inter illum degeret vitam. Quamquam enim Judaeorum magistri populusque pertinaciter fidei suae adhaeserint et ab iis, quae semel inter articulos fidei receperunt, non facile discesserint, multa tamen insequenti tempore addita esse possunt, quae doctoribus antiquioribus ignota forte fuerunt, ut fere semper fit in doctrinae partibus, cogente necessitate per dissidia opinionesque magis magisque excultis et auctis. Non ergo ex iis, quae Rabbini iuniores de Messia suo eiusque munere et regno tradunt, statim concludendum est, hanc opinionem valuisse

A 5

etiam

etiam apud antiquiores⁴⁾. Recte vero ex effatis eorum confirmare possumus, ea, quae in N. T. libris aut aliis huius aevi scriptoribus ceu Judaeorum sententiae laudantur, vere ab iis fuisse credita et affirmata, si etiam apud doctores recentioris aetatis inueniuntur et allegantur. Tutissime ergo in his notionibus inquirendis ingrediemur, si ex locis N. T., vbi vel diserte eiusmodi praeconceptae opiniones commemorantur aut refutantur, vel in quibus ad eas alluditur, collectis atque comparatis, elicimus, quaenam tum temporis notio fuerit apud plerosque dominans de persona et opere Messiae; quod nunc faciemus⁵⁾.

Antea

⁴⁾ Recte hoc monet *Wichmannus* in *Diss. Num ex antiquitatis monumentis constet, apostolos vana spe carnalis regni Messiae insectos esse potuisse.* Jenae 1779. p. 19. quamquam conclusionibus, quas inde elicit, non assentiar.

⁵⁾ Somnia Judaeorum de Messia collegerunt praecipue Schöttgenius in *Horis hebr. et talm. in theologiam Judaeorum dogmaticam de Messia impensis*, Dresdae et Lips. 1742. Eisenmenger entdecktes *Judenthum*, Königsb. 1711. 4. P. II. c. 14. p. 755. sqq. — Corrodi kritische Gesch. des Chiliasmus, Frf. u. Leipz. 1781. Heidegger in *Dissert. selectis* Tiguri 1674. N. 23. de Chiliasmo Menschen in N. T. ex Talmude et antiquitatibus Hebraeorum illustrato curis Scheidii, Danzii et Rhenferdii, Lips. 1736. 4. Lightfoot in H. H. et Talm. in IV. Euangg. Schöttgen in H. H. et Talm. in uniuersum N. T. Parte I. Dresd. 1733. passim, alii.

Antea vero non incongruum videtur, paucis inquirere: unde *Judaei exspectationem, spemque suam de Messia hauferint?* cuius opinionis sine dubio praecipuae fuerunt causae sequentes. Primum inter populum Iudaicum mos erat, non solum vaticinia cuncta, quae de Messia agere credebant, sumendi sensu, quem habere poterant, latissimo, sed etiam ornandi exspectationum suarum systema opinionibus, quae ex imaginatione maxime luxuriosa originem duxerant, quam plurimis. Intelligebant vero locos multos de temporibus Messiae, quae re vera de illo agere minime videntur, atque ex iis sibi efformarunt systema de ipso eiusque regno et de felicitate ab eo in illo exspectanda⁶⁾, in auxilium saepe vocatis libris, ut aiunt apocryphis v. c. IV Esrae libro⁷⁾. — Cui accedebat huius populi superbia, qua persuasi erant, nullum esse se sanctiorem magisque a Deo dilectum, nullamque terram suae

⁶⁾ Inuenis eos collectos a Corrodi *Gesch. des Chil.* P. I. Sect. 4. p. 125. sqq. a. R. Isaak in fundamento fidei apud Wagenseil tela ignea Satanae 1681. praecipue ex prophetis, ex quorum locis simul systema quod habuerunt populares, elicit et facta praeterita exponit, cf. Corrodi p. 132. sq. a Schöttgenio de *Messia* I. II. p. 59—266. qui praemissis generalibus addit loca ex libris singulis.

⁷⁾ cf. Corrodi P. I. Sect. VII. p. 179—230: *System der Erwartungen der Juden, welches im IV Buch Esrae enthalten ist.*

suae regioni sanctitate ac felicitate praeferendam, vnde quoque fluebat opinio iis clarissima de regimine in omnem terrarum orbem sibi destinato et a Messia instaurando. — Denique tunc temporis a Romanis erant subacti, quorum imperium iis maxime in odio erat. Nihil enim magis oderunt gentilibus, quos a Dei gratia exclusos putabant, quam quod causam non aliter fieri poterat, quam ut iugum ab his illis impositum, ipsis intolerandum videretur. Edocti vero aliis occasionibus, miseriam insignem, quam perpepsi erant, secutam esse multo maiorem ac splendidiorem felicitatem illa, nunc etiam opinabantur, fore, ut mox ab hac miseria liberarentur. Tales enim conclusiones ex analogia antiquae populi historiae petitae maximam in animis eorum persuadendi vim habebant. Quum vero non maiorem nouerant felicitatem, quam in regno Messiae sibi tribuendam, facilis erat conclusio, mox Messiam esse aduenturum, seque ab omni miseria et maxime ab imperio Romanorum liberaturum. Eos autem exspectasse illum tempore, quo grauiores in se irruerent calamitates, et quo vitia maxime augerentur, patet ex locis ex Sanhedrin aliisque Iudeorum libris, quos allegauit Schöttgen atque Meuschen.⁸⁾

Non

⁸⁾ Schöttgen de *Messia* l. V, c. 2. p. 509. sqq.
 Meuschen l. c. ad Matth I. 1. p. 15. sq. Koppe
Exc. II, ad *Thess* Vol. I. p. 230. sq.

Non ergo est, quod miremur, Iudeos
eo fere tempore, quo natus est, Seruatorem
suum Messiam certissime exspectasse. Nam
secundum computationem ex LXX hebdoma-
dibus, cuius mentio sit in Danielis vatici-
niis ⁹⁾, eius aduentum in hoc temporis tra-
etu collocabant. Confirmatur etiam haec de
Messiae tempore opinio variis, quum N. T.
tum aliorum scriptorum, tam Judaicorum,
quam profanorum testimonii. Ex exemplo
Simeonis enim videmus, eum aduentum Mes-
siae ceu propinquum considerasse, quum exi-
tum non timeret, antequam consolatorem
et liberatorem populi Israelitici vidisset. ¹⁰⁾
Mulier Samaritana Christo, sibi dicenti: ve-
niet tempus et nunc adest, quo veri cultores
Patrem spiritu et vera ratione adorabunt,
respondebat: *Scio venturum esse Messiam, co-*
gnomine pñctum, qui quum venerit, rem
omnem nobis explicabit. (Joh. IV, 23—25).
(Lucas XIX, 11) monet, Jesum narrasse para-
bolam de decem minis, quia prope erat
co iibh iiv ruiroolen aubj ogo Hiero-

⁹⁾ Dan. IX, 24 sqq. coll. Lightfoot ad Matth. III,
6. p. 217. et S. V. Doederlein Institut. Theol. Christ.
T. II. §. 309. p. 530. sq. et quos ibi laudat
auctores.

¹⁰⁾ Luc. II, 25, 26. Παρακλησις enim idem est,
quod v. 38. λυτρωσις, et ponitur pro Παρακλησι,
ut saepe abstractum pro concreto: vid. Glassii
Philol. sacr. I. III. tract. I, can. 7. p. 556. sqq. et
I, V, tract. I, c. 4. p. 1478. sqq. ex ed. cum
praef. Buddaei Lips. 1725. 4.

Hierosolyma, et quia visum erat auditoribus, statim venturum esse Dei regnum. — Judaei eorumque sacerdotes Simonem ducem et summum sacerdotem eligunt perpetuum, usque dum surgat Propheta fide dignus (1 Macc. XIV, 41). *Josephus*¹¹⁾ monet, ferociam Judaeorum magnas vires sumfisse eo oraculo in libris sacris reperto, *ως κατα τον καιρον ἐκείνον ἀπὸ της χωρας Τις αὐτῶν ἀρξεῖ Τις οἰκεμένης.* — Judaei quoque per omnes terrae regiones dispersi hanc suam opinionem cum aliis populis communicauerant, vnde fuit eo temporis communis sententia, e Judaeorum populo oriturum esse regem, teste *Suetonio* qui (*Vespaf.* c. 4): *Percrebuerat, inquit, Oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Iudea profecti rerum potirentur; et Tacito (Histor. v, 13): Pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum libris contineri, eo ipso tempore fore, ut valeceret oriens profectique Iudea rerum potirentur, (et Hist. II, 5.) aliisque¹²⁾.* Quum ergo Jesus nasceretur, viri docti ex Orien-

¹¹⁾ *de bello Jud.* I.VI, c. 5. §. 4. et I.VII, 31 coll. *Eusebio H. E.* III, 8, p. 136. ed. Stroth. *Χρηστοὺς Ιησούς Φασκάν εν Ἱεροῖς γραμματιν εὐρησθαι περιεχοντα, ως κατα τον καιρον ἐκείνον ἀπὸ της χωρας αὐτῶν τις ἀρξεῖ της οἰκεμένης κ. τ. λ.*

¹²⁾ quos vide apud *Thiess über die Magier und ihren Stern*, Hainb. 1790, p. 46, n. 3.

Oriente, fortasse Judaei¹³⁾), stellae apparitione, quam regis alicuius aduentum indicare putabant¹⁴⁾), attenti facti, statim in Judaeam proficiscuntur et in metropoli regem quaerunt recens natum; candem ob causam Herodes huius opinionis sine dubio memor timore afficitur, quia veretur, ne finis sui imperii aedeset (Matth. II, 1 sqq.); propterea quoque a Iohannis discipulis tam celeriter ac libenter Jesus pro Messia agnoscitur (Joh. I, 35 sqq.); inde denique coaeui tam proclives erant, ut eum eligerent regem (Joh. VI, 14 sqq.)

In opinione vero, quam habebant de Messia, per varias V. T. periodos sensim sensimque clariore facta et nouis signis per Davidem atque prophetas adaucta¹⁵⁾, tan-

¹³⁾ Licet religio eorum certe definiri non possit, ut recte obseruat Thieß l. c. p. 22. verisimile tamen est, illos fuisse Judaeos, cf. v. d. Hardt Tyria graeca p. 52. sq. Henke Gesch. d. christl. Kirche P. I. p. 23. alii.

¹⁴⁾ Judaeos enim putasse, stellam Messiae tempore apparituram esse, locis adductis affirmant Corrodi P. I. p. 295 et Schöttgen de Messia p. 524 et 531.

¹⁵⁾ Breuem huius doctrinae historiam v. in S. V. Döderlein Inst. Th. Chr. Tom. II. §. 307—310. p. 521—535. qui quatuor constituit periodos: 1) tempore Abrahami et Mosis, 2) Davidis, 3) prophetarum, 4) Noui Testamenti; et in libro: Meine Gedanken über die Entstehung und Ausbildung der Idee von einem Messias von Heinr.

Scc-



dem mixta sunt falsa veris, ut denique ea euaderet, qualis fuit tempore, quo Jesus inter homines viuere coepit, et quam nunc eruere studebimus. Quia in re autem hunc seruabimus ordinem, ut antea breuiter explicatis carminibus Mariae, Zachariae atque Simeonis, locos ex N. T. colligamus, in quibus vel praeconcepta opinio falsa de Messia ad Jesu refutatur, vel ad eam alluditur, adductis simul locis ex scriptoribus Judaicis, ex quibus patet, hanc opinionem vere valuisse apud Judaeos.

Primum, quum Dei cura Mariae annunciatetur, ex ea oriturum esse Messiam, legatus diuinus in hac re describenda talibus uti debebat imaginibus, ut mater Domini bene intelligeret, quid sibi vellet haec promissio, atque filium suum Messiam esse illum, quem iam dudum exspectarent. *Filius*, inquit ergo (Luc. I, 32. 33.), quem paries, vir erit magnus, summique Dei filius appellabitur, atque Deus ei dabit imperium Davidis, a quo descendit; imperium vero eius erit perpetuum nec unquam finem habebit; et deinde, quum Josephum moneret, ne Ma-

riam Stephani, Nürnb. 1787. 8. cuius summam exhibet V. Eichhorn in *Allg. Biblioth. der bibl. Litterat.* I. B. 5. St. p. 735. sqq.; eiusdem efformationis historiam alio modo proponit Eckermann theolog. Beiträge 2. B. I. St. Altona 1791. p. 81. sqq.

xiam vxorem repudiaret, somnio eum alloquitur ita (Matth. I, 21.): *Filius, quem pariet, gentem suam a poenis delictorum suorum liberabit*¹⁶⁾. Haec vero liberatio, quam exspectabant, erat restitutio reipublicae in pristinum florem¹⁷⁾. Quia enim tum temporis hae notae de Messia, ut fere ab omnibus, ita sine dubio etiam a Maria et Josepho pro veris habebantur, ambo statim in hoc sermone acquiescunt, nec aliud quid

B in

¹⁶⁾ Sermo h. I. est de liberatione aliqua proprie ad populum Judaicum, cuius ciuis erat Jesus, spectante. Σωζειν vero denotare: *liberare, eripere ex periculo, ex miseria*, patet ex Jos. VIII, 22. vbi σεσωτηρευος est in pugna seruatus, Matth. VIII. 25, XXIV, 22. Joh. XIII, 27. Hebr. V, 7. — αμαρτιαν autem poenam peccati ex Lev. XIX, 17. Jes. LIII, 4. (vbi in hebr. est ΛΠ) Marc. III, 29. (si legitur αμαρτιας loco receptae κρισεως) Joh. X, 23; sic etiam αιτια Gen. IV, 13.

¹⁷⁾ Quanlibet enim oppressionem ab hostibus peregrinis Israelitae habebant pro poena a Deo sibi illata ob neglectum religionis et cultus diuinorum. Sic v. c. infelicissima bella cum incolis terrae Cananitiae Jud. II, 12. 14. seruitus sub rege Mesopotamiae c. III, 6—8. sub Eglon v. 12. exilium ipsum Esrae IX, 7. Dan. IX, tot. praecipue v. 7. 10—12. 15. 16. coll. Baruch I, 15. sqq. et c. II, passim, e. g. v. 6. 10. 12. Contra vero liberatio ab eiusmodi miseriis, cuius origo erant delicta populi, dicebatur remissio peccatorum et poenarum peccando contractarum; ita Dan. IX, 24. de tempore feliciore, quo obsignanda sint delicta et ignoscenda ei ipsa, Jes. XL, 1. 2.

in eo cogitasse, quam caeteri eorum populares, verisimillimum est ¹⁸⁾.

Mariam vero haec ita intellexisse, vides mus ex carmine suo, quod cecinit, quum visitaret cognatam Elisabet in vrbe Iuta: *Deum ego celebro*, inquit (Luc. I, 46—56.)

¹⁸⁾ Ita quoque Hessius *Jugendgeschichte Jesu*, quam praemisit *Geschichte der drey letzten Lebensjahre Jesu* p. 19. 20. dicit: *Misverstand war hier freilich möglich; eben der, der iene prophetischen Ausprüche schon lange blos von einer irdischen Monarchie erklärte — et deinde: Ob Maria sich diese künftige Größe und Herrschaft ihres Sohnes mehr oder weniger nach den freilich sehr unwollkommnen Begriffen ihrer Nation denken würde, darauf kam es jetzt eben nicht an; — et denique: Eingeschränkt und national mag sie freilich iene Ankündigung verstanden haben; aber auch so noch war es das Höchste, was eine Israelitinn sich denken konnte, Mutter des Messias zu werden, den zu gebären, welcher der Nation zu dem Glück der bessern Theokratie helfen würde.* Cf. quoque p. 31. et Keil *Diss. cit.* p. 14. Eadem agnoscit etiam S. V. Seiler, qui in libro: *Größeres bibl. Erbauungsbuch N. T. P. I* Erl. 1786. dicit p. 31. Daber konnte der Maria nicht wohl mit andern und schicklichern Worten die frohe Botschaft gebracht werden, daß sie den von Gott verheißenen Messias gebären würde; — et paucis interiectis pergit: *Maria konnte sich freilich damals noch nicht die ganze grosse Herrlichkeit vorstellen, die ihr Sohn erhalten würde, sie dachte ihn wohl, wie die übrigen Juden, als einen irdischen König, bis sie nach seiner Himmelfahrt eines bessern belehrt wurde.*

56.)¹⁹⁾, laetatur mens mea de Deo benefactore²⁰⁾, qui me quamuis humilem respexit, beatam me praedicabit omnis posteritas²¹⁾. Magno me beneficio auxit potens ac venerandus²²⁾. Amorem seruat perpetuo cultoribus suis²³⁾. Magnas gesturus est

B 2

vir.

¹⁹⁾ Omnes fere ciuius sententiae desumptae sunt e locis V. T. vbi tam claram de Messia notionem, vt nos habemus, quaerere non licet; et Maria has de se suisque temporibus dicit,

²⁰⁾ Σωτήρ latissime patet, et denotat quemcunque, qui nos a periculis liberat, salutem nobis dat et beneficia tribuit. v. Ernesti in Clave Ciceroniana voce Soter, et Cicero Verrina II. c. 63. item Wetsten, ad Luc. II, 11. Inde σωτήρια est incolumentas, salus quaecunque, felicitas Act. VII, 25. XXVII, 34. Luc. XIX, 9.

²¹⁾ tanquam matrem Messiac. Δεύτη saepe et h. I. nihil aliud denotat, quam: ego, aut in vniuersum pronomen personale, praesertim si quis principem aliquem aut Deum alloquitur, vt עָבֹד 1Sam. I, 11. ex quo h. I. desumitus est, Gen. XIX, 2 XLII, 10. II. 13. Ταπεινωσιν Ηγούμενος vero est pro ταπεινηρ δεύτη. cf. Glassii Pbilol. sacr. I. c. (not. 10.)

²²⁾ Ονομα, vt hebr. שֵׁם denotat quoque personam, & ponitur pleonastice Act. I. 15. Apoc. XI, 13. &c. cf. Perizon. ad Ael. V. H. XIII, 28. — Αγιος vero in vniuersum significat, secundum usum verbis hebr. קָדוֹשׁ, omne, quod singulari dignitate gaudet, in oppositione τῷ κοινῷ; Inde de Deo: supremus, venerandus, v. c. Ps. XCIX, 3. 5. 9. CVI, 47. Jef. VI, 3.

²³⁾ Ελεός non solum denotat, misericordiam, sed in vniuersum, vt hebr. רָחֵל, amorem, benevolenziam

60

—

*virtute sua res ; perdet elatos animo ²⁴⁾ ;
principes de folio deiicit ; tenues in alta
sede collocabit ²⁵⁾. Pauperes augebit diui-
tiis*

*tiam, vt v. 54. 58. 72. Exod. XX, 6. Deut. VII, 9.
cf. Michaelis Einl. in die göttl. Schriften des N.B.
Ed. IV. 1788. §. 22. p. 157. sp.*

²⁴⁾ Ποτειν κρατος cum Michaelis Einl. §. 129.
P. II, p. 931. vt רִימָה עַל intelligo de *victoria*.
Βραχιων metaphorice est *potentia*, *robur* Joh.
XI, 38. coll. Jes. LIII, 1. Act. XIII, 17. coll.
Exod. XIII, 14. vbi Alex. vertunt: εν Χειρι
κραταια. Διασκορπιζω; vt פְּזַר, proprie
vertendum est, dissipare, et de hostibus fugatis
vsurpatur Pf. LXXXIX, 11. (Alex. 10.) Joh. X.
12. deinde: perdere quocunque modo Act. V, 37.
Luc. XV, 13. Sensus ergo h. l fortasse est hic:
Deus fortissimus victoriam nobis dabit de hostibus
nostris, atque eos, qui nunc superbo animo
nobiscum agunt, nunc in nos imperant, dissipabit
f. perdet; vt sic etiam huic loco inesse videatur
opinio vulgaris de Messia restauratore libertatis
reipubl. Judaicae. — Aoristum autem ponit pro
Futuro et Praesenti, neminem fugit linguae peri-
tum, cf. v. 68. 69. Joh. XI, 56. XV. 6. Rom.
VIII, 30. v. Glaffii Phiolol. sacr, I, III, Tr. III.
can 47. p. 883. fqq.

²⁵⁾ Sensus ex his verbis eliciendus hic esse videtur:
Qui nunc nobis imperant, imperio priuabit, nos
vero, nunc in miseram conditionem deiectos,
rursus eleuabit potentesque reddet. Δυναστης
enim est is, qui vi praeditus alicui rei imperat
Act. VIII, 27. I Tim. VI, 15. h. l. ex hac expli-
catione, Romani; ταπεινος contra homo humilis
conditionis, vilis Rom. XII, 16. Jac. I, 9. et h. l.
Iudei, tum temporis sub potestatem Romanorum
redacti,

tiis, diuites vero dimittet egenos ²⁶). *Sustentat Israelitas dilectos suos, haud im-*
memor benignitatis, ut promisit maioribus
nostris, Abraham eiusque posteritati ultime ²⁷). Ex hoc Mariae carmine, si ita
explicatur, ut fecimus, elucet ergo spes de
Messia, qui populum suum ab imperio Ro-
manorum liberaturus atque in pristinum flo-
rem reducaturus esset, quam ob causam Maria
sibi gratulatur felicitatem insignem, qua

B 3 Deus

redacti, qui vero tunc etiam Messiam exspectabant liberatorem.

26) Sententia huius proverbi in praesens tempus
accommodati est fortassis: Judaeos, qui res suas
amiserunt, restaurato pristino reipubl. statu, reddet
diuities; Romanis vero, qui nunc diuitias Judaeis
abreptas possident, eas adimet, eosque fugatos
pauperes dimittet. ΑΤΟΣΕΛΛΩ enim, vt lat.
dimittere, dicitur pro: facere, reddere, vt c. XX.
10. 11. Jobi XXII, 9. Seiler, (v. not. 28.) ex-
plicat de inimicis Messiae.

27) H. e. Per Messiam mox a me pariendum rei
afflictæ Judæorum succurret, eisque possessionem
terrae Canaan, nunc a Romanis illis abreptæ,
restituet, ut promisit Abrahamo posterisque eius
vltimis. — Parenthesis hic omitti potest, quum
 $\lambda\alpha\lambda\epsilon\iota\omega\iota$ præter h. l. etiam dupli modo construitur,
modo cum $\pi\rho\sigma\varsigma$, modo cum Datiuo, ab Alex.
I Reg. XII, 23., et tunc $\epsilon\omega\varsigma\alpha\iota\omega\varsigma\delta\varsigma$ iungendum
est cum $\sigma\pi\epsilon\varphi\mathtt{m}\alpha\tau\iota$, qui Datius pendet ab
 $\epsilon\lambda\alpha\lambda\eta\varsigma\tau\epsilon$. Wolfius in Curis ad h. l. $\mu\nu\eta\sigma\vartheta\eta\varsigma\alpha\iota$
 $\epsilon\lambda\epsilon\varsigma\varsigma$ iungit $\tau\omega\ A\beta\varrho\alpha\mu\iota$, verba vero
 $\kappa\alpha\vartheta\omega\varsigma\eta\mu\alpha\iota$ parenthesis includit.

Deus eam beauerit, vt mater esset huiusc
saluatoris atque regis ²⁸⁾.

Clarius autem haec sententia de Messia
liberatore e seruitute gentium inesse videtur
in carmine *Zachariae sacerdotis* (Luc. I, 68
— 79.) ²⁹⁾, qui propter filium sibi natum,
praes-

²⁸⁾ Ita quoque iudicat Hess. Gesch. Jesu p. 31.
Dieser Gedanke schwebt ihr in seiner ganzen
Wichtigkeit vor. Sie stellt sich ihren Sohn schon als
König vor, dessen Regierung den Glanz der Weltreiche
verdunkeln werde u. s. w.; idemque de hoc car-
mene affirmat Seiler grösst. bibl. Erb. P. I.
Anmerk. 446. Bei diesem Lobpsalm muss man
immer zwei Stücke wohl unterscheiden: 1) die
Vorstellungen der Maria, die freilich zum Theil
schwach, irdisch und jüdisch waren. Sie erwar-
tete, wie alle andre Israeliten ihrer Zeit, ein
immerwährendes messianisches Reich auf Erden
u. s. w. et de iis, quae Maria exspectabat, dicit
p. 41. Maria erwartete von Gott eben das, was
andre Israeliten ihrer Zeit zu erwarten pflegten.
Sie hofften nemlich, dass die Feinde Israels unter-
drückt, und alle, die sich der wahren Religion
widersetzen, besiegt, erniedrigt, oder wohl gar
vertilgt werden würden; der König Messias aber
würde sein Reich immer weiter auf Erden aus-
breiten, und mit Gewalt und Majestät über die
Völker herrschen; et p. 42.: Es kann seyn, dass
Maria nach den Vorstellungen der Juden hoffte,
Gott werde durch den Messias denen, die sich ihm
ergeben, auch eine vorzügliche zeitliche Wohlfahrt
verleihen, und hingegen die mächtigen Reichen, die
sich dem Heiland Israels widersetzen, ihrer Güter
berauben, und unter die Dürftigen herabsetzen.

²⁹⁾ Ea eniim, quae hic dicit, verisimili modo non
interpretanda sunt, quam si dixisset homo Chri-
stianus,

praecursorem Seruatoris, ita canit: *Laudetur
Dominus Deus Israelitarum, qui respexit
populum suum eique parauit liberatio-
nem*³⁰⁾, excitando nobis fortē seruatorem e-

B 4

gente

sianus, sed Zacharias, licet sacerdos, imbutus esse videtur notionibus, quas populus habebat vniuersus, quod praecipue colligere licet ex v. 71 et 74, vbi de liberatione aliqua ab hostibus per Messiam facienda loquitur, hancque non nisi populo suo tribuit; quamquam non negamus, Zachariam aliquo modo rectius de Messia cogitasse, quam plurimi Judaei, licet non penitus assentiamur S. V. Rosenmüllerō, qui in Scholiis ad Luc. I, 74 ed. 3. *Quamquam*, inquit, plurimi *Judaei Christi* aetate viuentes mundanum regnum sperarunt, Zacharias tamen ab hac opinione alienus fuisse videtur; omnia enim ad religionem et pium Dei cultum refert. Nobiscum quoque facit V. Seiler p. 54. vbi dicit: Die Erlösung, auf welche Zacharias hoffte, war freilich zuerst die Errettung seines Volks aus der Gewalt seiner Feinde. — Dies hofften nemlich damals alle Israeliten, dass der Messias seine Nation eben so aus der Gewalt seiner Feinde befreien würde, wie Gott einst durch Mosen die Israeliten aus der Gewalt der Egypter befreit hatte u. s. w. et p. 447. in annotatt.: Der begeisterte Zacharias dachte doch immer noch einigermaassen als Jude, und hoffte eine Erlösung aus der Gewalt der Feinde. Cf. quoque Hes Gesch. Jesu p. 37.

30) Επισκεψθαι, hebr. רפָא enim h. l. significat: benefacere, auxilium ferre, respicere, vt Act. XV, 14. Luc. VII, 16. Matth. XXV, 36, Gen. L, 24. 25.

gente Davidis dilecti sui ³¹⁾ (quemadmodum promisit per sacros olim prophetas ³²⁾), liberatorem, inquam, ab hostibus nostris et a poten-

³¹⁾ Κέρας σωῆτριας, quae verba etiam de Deo occurunt Ps. XVIII, 3. (Alex. 2.) et 2 Sam. XXII, 3. h. l. ponuntur pro σωῆτρος κράτεσον. Κέρας enim est signum potentiae et principatus, Dan. VII, 24. c. VIII, 24. Deut. XXXIII, 17. I Sam. II, 22. Jer. XLVIII, 25. (vbi interpres מל כהן et מלכות) Horat. Od. I. III. Od. 21. v. 18. "addis cornua pauperi", et Ouidius: "tunc pauper cornua sumet", Eusebius Praep. Evang. I, 10. cf. Wetstein ad h. l. — et simul auxiliū, quia quilibet reus, qui cornua capiebat altaris in atrio templi, a poena liber erat, 1 Reg. I, 51. II, 28. 1 Macc. II, 48. — In σωῆτρια vero abstractum ponitur pro concreto, σωτηρ. Cf. de h. l. Nösselii Opuscc. exeg. Tom. I, p. 27. sqq. — Aoristos poni pro Futuris, inonui iam supra not. 24. et Zacharias in hoc loquendi modo imitatur prophetas, qui de rebus futuris tanquam de praesentibus loquuntur. cf. Gaffii Philol. f. I. I. Tr. IV. Sect. I, can. 4, p. 317. sqq. Hic σωτηρ κράτεσον vero est Messias, per quem putabant, se liberandos esse ab hostibus.

³²⁾ Αἰών ωλμ in tali nexu est tempus quoduis olim praeterlapsum, ut Deut. XXXII, 7. ἡμεραί αἰώνος Joh. IX, 32. Joël II, 2. Ergo προφῆται ἀπ' αἰώνος sunt prophetae, qui olim vixerunt, ut Gen. VI, 4. ἢ γιγαντες ὁτι ἀπ' αἰώνος et Act. III, 21.

³³⁾ Σωῆτρια, quod verbum latissime patet (not. 20). h. l. verisimile est liberatio ab hostibus, a Romanis, qui

potestate eorum, qui nos opprimunt ³³⁾), et sic maioribus nostris benefacit, seruatque promissionem suam praeclaram, et praestabit nobis, quod iurauerat Abrahamo, conditori gentis nostrae ³⁴⁾), ut sine timore, a potestate hostium nostrorum liberati, sacra eius faciamus in templo rite iusteque per omnem vitam nostram ³⁵⁾). Tu autem, puer,

B 5 lega-

qui Judaeos tum temporis opprimerant. Μίσειν vero significat non tantum: odio habere, sed, ut contrarium αγαπαν de amore, innuit simul voluntatem nocendi et infelicitatem. Μίσγντες enim et ἐχθροὶ sunt verba parallela Ps. XVIII, 17. 40.

³⁴⁾ Respicit sine dubio ad Gen. XVII, 7. et XXII, 16. 17. vbi Deus Abrahamo promisit, posteros eius fore possessores terrae Cananiticae. Quum vero tum temporis hocce imperium Judaeis erexit esset a Romanis, Zacharias sperabat huius regni per Messiam cum pace duratura instituendam restitutionem.

³⁵⁾ Αἴφοβως (quod pertinet ad λατρευεῖν, vt hoc pendet a δεναι, cf. Vitringae Obss. f. Diff. 3, c. 6. p. 212. ed. Jen. 1723) dicit, quia non verendum esse putat, ne hostes sacra eorum turbent, qui nempe a Messia venturo victi potestatem suam amiserint. — Λατρευεῖν vt de cultu Dei interno ita saepe etiam de externo dicitur de iis, qui offerunt sacrificia Hebr. IX, 9. X, 2. XIII, 10. — Εν ὅσιοτητι καὶ δικαιοσύνῃ esse potest pro ὅσιως καὶ δικαιως. Ὅσιως autem, si de sacrificiis usurpatur, denotat: rite ita instituta, vt nihil contra leges ac mores sacrorum peccetur. sic Aelian.

¶

legatus eris summi Numinis ³⁶⁾, praeibis
Messiae et viam ipsi praeparabis, instrues-
que

Aelian. V.H. II, 31. ἀγγευειν ὅστιος et VIII, 1.
ὅστια πομπή ad quem locum v. Perizonium, et
Hesychius ὅστιος explicat per πρεπονθως. —
Ἐν δικαιοσυνῃ vero h. l. vertendum est vel:
secundum Dei institutum, ex praecepto legis cf.
Storr Diff. de sensu vocis δικαιος et cognatarum
in N. T. Tubing. 1781. §. 9. — vel rite, iusste,
vt par est in enltu Dei, vth. c. v. 6. Luc. XVIII, 9.
coll. 11. 12. Phil. III, 6. cf. Drasdo Diff. II. de
fidei in causa salutis humanae ratione et necessitate
Viteb. 1790. p. 15. sq. Cognatum δικαιωμα
enim esse legem caeremonialem, patet ex v. 6.
vt obseruarunt Witsius Miscell. Tom. II. p. 485
et Wolfius in Curis ad Luc. I, 6. — Εὐαπτιον αυτὸς
denique idem esse videtur, quod v. 8. ἐναντίτος θεός,
in templo, vbi Deum praecipue praesentiam suam
exserere credebant Judaei. — Haec vero inter-
pretatio preferenda nobis videtur communi de
vita sanctiore legibus diuinis conueniente, quum
hic loquitur sacerdos Judaeus, qui cultum Dei
securum maxime optat, et de Messia, qui pacem
sit restitutorus, sperat (cf. not. 29.) — Sic cum S. V.
Griesbachio ommittimus της ζωης in verbis
πατας ιασημερας ημων, haec etiam ita intelligi
possunt: per omnem aetatem populi nostri, vt
simil huic loco insit vestigium opinionis de regno
Messiae in aeternum duraturo ex persuasione populū
Israelitici, se nullo tempore esse peritum.
Loquitur enim hic sacerdos nomine ciuium suorum,
qui per omne aeuum Deum secure colant, ex
animo optat fibique pollicetur. Vox ημερας
vero non obstat, quae dicitur de quovis tempore ex
hebr. בְּרוּ, v. c. Luc. XIX, 42. Act. VIII, 1.
2 Cor.

*que eius populum salutari cognitione, eique
annunciabis liberationem a poenis peccato-
rum*

2 Cor. VI, 2. &c. In mente sine dubio habuit simul mutationem animorum et emendationem, quia plurimae nationis Judaicae liberationes coniunctae fuerant cum emendatione quadam religionis morumque, v. c. tempore Mosis, Judicum, Dauidis, caet. Quum vero conclusioni ex analogia fatorum antecedentium magnam vim tribuebant Judaei, ut supra iam annotauimus, etiam cum hac redemtione talem conuersionem coniunctam fore credebant.

36) Προφῆτης ex hebr. נָבִיא in vniuersum est quilibet doctor religionis diuinae vi quadam extraordinaria a Deo instructus, legatus diuinus in causa religionis; sic h. l. item Gen. XX, 7. I Sam. III, 20. Marc. VI, 4. Luc. VII, 28. Act. XIII, 1. vbi προφῆται et διδασκαλοι iunguntur, vt Eph. II, 20. III, 5. ἀπόστολοι et προφῆται. In singulis vero locis huic verbo tribuendi sunt significatus magis difiniti et specialiores v. Mosheim Diff. de prophetis ecclesiae apostolicae, in Diff. ad historiam eccles. pertinentibus Vol. II, p. 125. sqq. Koppe Exc. III, ad Ephes. Vol. I, p. 394—410. Ed. Imae Gött. 1778. v. s. Dresde Progr. II. de notione prophetae in Cod. s. Viteb. 1788. 89. Bardili significatus primitius vocis προφῆτης ex Platone erutus &c. Gött. 1786. alii — Johannes h. l. dicitur propheta, quia a Deo missus per doctrinam et baptismum Israelitas ad recipiendum seruatorem mox veniendum cuiusque religionem meliorem praeparabat, quam ob causam vocatur quoque praecursor Messiae, qui huic viam pararet. In vocibus προπρωτοπάτης vero nihil aliud quaerendum est, quam in hebr. רָפֶן, vel simplici

προ

rum³⁷⁾, quae omnia ipsi contingunt per misericordiam Dei nostri³⁸⁾, qua effulgit nobis sol oriens, qui ex alto coelo³⁹⁾ iis, qui iam in tenebris et densissima caligine versantur

*προ, ante, quod dicitur quum de loco, tum de tempore
ut h. l. et Luc. VII, 27. IX, 51. Act. XIII, 24.
Matth. XI, 10, et idem est, quod v. 17. ad quem
in hisce verbis respicit Zacharias, ενωπιον αυτης
seilicet ουρανος.*

³⁷⁾ His in verbis rursus non cogitandum esse videtur de remissione peccatorum morali, sed de liberatione a poenis peccatorum, h. e. ex more loquendi Israelitarum tum temporis, a miseria per subactiōnem sub Romanorum imperium sibi inficta et ab hoc imperio ipso. Cf. Matth. I, 21. et not. 17.

³⁸⁾ Σπλαγχνα, ρρόμιμα, quod Alex. Deut. XIII, 17. Ies. LIV, 7. vertunt per ἐλεος, sunt misericordia, amor tener et intimus 2 Cor. VII, 15. Philem. v. 7. 1 Joh. III, 17. In σπλαγχνα
ἐλεξσ vero nulla est emphasis, sed eadem constructio, quae occurrit Col. III, 12. σπλαγχνα
οικτιομων, pro quo simpliciter Paulus dicit δια Γαν οικτιομων Γα θεος Romi. XII, 1. et coniungit σπλαγχνα και οικτιομων Phil. II, 1.

³⁹⁾ In his verbis constructis sequor Michaelis, qui in Einl. ins N. T. P. I. §. 112. p. 863. et in verstone N. T. vernacula, comma, quod post εξ υψος
delet, post ανατολη ponit et ita verdit: die auf-
gehende Sonne ist uns erschienen, die dereinst aus
der Mittagshöhe des Himmels denen in Finsterniß
und Todeschatten Sitzenden leuchten wird.
Ανατολη enim, quod alias dicitur de plaga
orientali Matth. XXIV, 27. et de regione Orientis,

V. c.

tur 40), splendebit, ut gressus nostros in felicitatis tramitem ducat 41).

Opinionem vero huic, quam in carminibus Mariae et Zachariae modo inuenimus, similem fuisse quoque videtur *Simeon*, qui quum in templo Jesum a parentibus oblatum conspexisset, ita exclamat (Luc. II, 29—32).

Nunc

v. c. de Arabia Job I, 3. cf. Thioſſ über die Magier p; 21. h. l. denotare videtur *solem orientem*, pro *αὐτελλων* (sc. ἡλιος,) quod verbum usurpat de sole oriente Matth. V, 45. Marc. IV, 6. — Υψος vero denotare coelum, patet ex Luc. XXIV, 49. vt εν υψιστοις Luc. II, 14. XIX, 38.

⁴⁰⁾ Fere eadem verba occurruunt Mat. IV, 16. coll. Jes. IX, 1. Tenebrae autem imago sunt miseriae cuiuscunque, vel infestiae, vel infelicitatis Joh. VIII, 12. 2 Petr. II, 17. Σκια τε θαρατος, אַלְמֹת, est *densissima caligo*, qualem in orco regnare putabant veteres, sive caligo, *infelicitissima, periculosa*. Θαρατος enim denotat quoque *mortis periculum* 2 Cor. I, 10. XI, 23. et miseriam Rom. VII, 10. Prov. XIV, 27. vt e contrario φως est imago felicitatis. Cf. de hac formula Bibliotheca noua Lubec. Vol. II. Lub. 1753. p. 109.

⁴¹⁾ Sensus ergo totius huius imaginis esse videtur hic: Per misericordiam Dei nostri incipient mox tempora felicia Meffiae, quibus deinde maximo splendore florentibus nos nunc summa miseria depresso, absolutissima felicitate fruemur, et quibus nos, licet nunc libertas nostra valde sit imminuta, rempublicam nostram florentem libera ramque videbimus, atque pace gaudentes profunda erimus felicissimi.



Nunc mihi, Domine, laetam placidamque mortem concedis, uti mihi promisisti, quum hisce meis oculis eum vidi, quem esse voluisti salutis auctorem omnibus gentibus, lumen oriturum nationibus decusque populi tui Israelitici; qui simul autem hunc seruatorem e gente Iudaica oriundum eamque liberatum, etiam ad alios populos pertinere, eiusque tempora feliciora largiturum, fatetur.

His praemissis antequam locos singulos N. T. addamus, e quibus opiniones de Messia eiusque regno et officio, quae tunc temporis fouebantur, haurire atque locupletari possumus, dicere pauca liceat de notionibus, quas de Messia habuerint Samaritani atque *Johannes Baptista*; quarum vestigia, licet pauca, N. T. libris adhuc inuenimus impressa. E colloquio enim, quod habuit Jesus cum muliere Samaritana prope urbem Sichar, videmus, puriorem inter illos conseruatam esse de Messia sententiam, quam inter Iudeos ipsos, qui variis additamentis eam nimis ornare studuerunt. Mulier nempe Jesu rectiorem atque verum Deum colendi modum sibi ostendenti respondit (Joh. IV, 25): *Scio, venturum esse Messiam cognomine Christum, qui quem aderit, nos haec omnia docebit*, qua quidem responsione prodit, se cum popularibus in Messia exspectare non tam regem terrenum atque restauratorem reipublicae, quam, ut erat, doctorem religionis purioris

met-

meliorisque. Cuius etiam huius urbis plurimi, quum a muliere percepissent, quae Jesus locutus esset, et ipsius doctrina, quam ab eo per binos dies in urbe commorante audierant, commoti, illum seruatorem hominum agnoscunt atque verum Messiam fibi promissum. Nec solummodo populo suo soli vnicet tribuunt hunc seruatorem, sed diserte eum appellant (v. 42) σωτῆρα τὸν κοσμόν, h. e. hominum in vniuersum omnium.

Multo adhuc sublimior veritatique plane conueniens est effatum Johannis Baptiste de Messia, quod variis proposuit occasionibus. Eum enim appellat *se multo maiorem, cui qui ligamenta calceorum soluat, qui vilissima praestet officia, se non dignum existimat;* proponit Jesum ceu Messiam potentissimum, qui *aliis largiter donaturus sit meliorem suam doctrinam ac bona spirituata, alios vero religionis suae contemtores affeturus poenis*⁴²⁾, et cui Deus supra omnem-

men-

⁴²⁾ Math. III, 11. 12. Marc. I, 7. Luc. III, 16. 17. Joh. I, 27. Variae verborum: αὐτὸς υἱὸς
βαπτίσει πνευμάτι ἀγνώσκη πνεύμα, interpretationes a viris doctis sunt propositae, quum alii vertant: ille vos religione sua praefantissima velut igne lustrabit: alii: ille vos donis miraculosis exornabit et igne, scilicet igneis, i. e. sub symbolo ignis Act. II, 3. cf. Schöttgenii Lexicon in N. T. ed. Spohn. sub voce βαπτίζω et Suiceri Theolog. eccles. P. I. p. 629.; alii sumant de methodo Christi docendi feruido & sublimiori cf. Eichhorn Allg. Bibl.



mensuram dona spiritus sit largitus; atque tanquam filium Dei, cui pater pro amore suo in illum omnia tradidisset (Joh. III, 34-35.); ad eum discipulos mittit, ut ipsi praebat occasionem, publice declarandi expressis verbis dignitatem ac potentiam, qua praeditus erat, quamque adhuc solummodo factis ostenderat⁴³); diserte denique de eo affirmat, illum esse fontem felicitatis hominis cuiusque, qui eum Messiam agnoscat habeat-
que

Bibl. d. bibl. Lit. 3 Bd. 2 St. p. 232. sqq.; alii denique aliter. Evidemt acquiesco libentius in ea, quam supra cum multis dedi, propter versum seq., cui, licet sub aliis imaginibus, eadem inest sententia. separatio nempe ac diuersa fors amicorum Messiae atque inimicorum. Βαπτιζειν
enim significare: *largiter profundere, confirmatur*
Act. I, 5. Joh. I, 33.

⁴³⁾ Matth. XI, 2-19. Luc. VII, 18-25. Sequor hanc opinionem de consilio Johannis in mittendis ad Jesum discipulis, quamquam mihi non omni fundamento carere videatur sententia eorum, qui putant, Johannem voluisse excitare Jesum ut paulo celerius agat in declaranda sua Messiae dignitate, nec hypothesis Burii in libro: *A dissertation on the message from St. John the Baptist to our Saviour, Luke VII. 19. with remarks on the history of his life and ministry.* Ed. London 1789 8. qui contendit, Johannem captiuum de forte sua dubium, melioremque exspectantem, hac legatione voluisse admonere Jesum, ut sui remiseretur atque pro liberatione sua laboraret. cf. Eichhorns allg. Bibl. der bibl. Lit. Bd. III, St. V. p. 913-920.

que ipsi fidem (Joh. III, 36.), quod et Jesus de semet ipso dicit (v. 16. 17. 18.). Et quid aliud continet exclamatio repetita de Jesu: *Ecce agnus Dei, qui expiat peccata hominum* (Joh. I, 29. 36.)! quam doctrinam consolationis plenissimam aliquisque scripturae locis satis firmatam, Jesum per mortem suam esse causam, ut poenae, quas peccatis homines meriti sunt, iis remittantur, atque tunc felicitatem non solum pertinere ad populum aliquem peculiarem, v. c. Judaicum, sed ad totum genus humanum. — Inter omnes ergo, qui Christi tempore vixerunt, Johannes eluet, qui omnium optime ac rectissime de Messia eiusque officio cogitauit, haecque docuit coaeuos. Caeteri enim, ut nonnullis vidimus exemplis, imbuti erant notionibus per varia additamenta condecoratis atque sic a veritate abductis et simplicitate, qua Messiam venturum descripserant prophetae. Nunc vero his, quae adhuc vidimus de notionibus, quae Christi tempore apud Judaeos fouebantur de Messia, addemus loca singula, e quibus haec opinio completa reddi potest.

Vidimus autem, Judaeos praecipue a Messia suo exspectasse *liberationem a potestate inimicorum* (Luc. I, 74.) et reductionem in pristinum reipublicae florem. Quam ob causam Messias vocatur παρακλητος γε Ἰσραηλ (Luc. II, 25.) et λυτρωσις (v. 38.), eiusque tempus a Judaeis הַגָּאֹלֶה עַת וְהַיִשׁוּעָה עַת tempus liberationis et salutis ⁴⁴⁾). Putabant

C

nem-

⁴⁴⁾ v. Keil Diff. cit. p. 9.



nempe, a Messia hostes omnes, qui sacra eorum turbarent eosque coercent, esse vincendos, ut nunc tranquille viuentes quavis felicitate gaudere possint. Ita enim saepius in Talmude repetitur: *nihil interest inter hunc mundum et dies Messiae, nisi subiectio regnorum* ⁴⁵⁾; sic R. Abarbanel ad Jes. XI, 10, sqq. ⁴⁶⁾ dicit: *futuram illam redemtionem esse αντιπον exitus ex Aegypto; et deinde: redemtio futura vocatur redemtio secunda, quoniam redemtioni Aegyptiacae similis erit omni modo et respectu; congregabuntur enim omnes tribus et egredientur in absolutam libertatem, requiescente super ipsis prophetia, alterisque rebus sanctis ornati et multiplicabuntur signa et prodigia et regnabit super ipsis rex Messias.* Et R. Moses Maimonides ⁴⁷⁾: *Propterea, inquit, vniuer-*

⁴⁵⁾ v. Herm. Witsii *Diss. de seculo hoc et futuro* §. 23. addita Meuschen N. T. ex Talmude illustratum p. 1178. Idem vero hoc loco probatur, si cum Eckermann theol. *Beitr. 2 B. 1. St. p. 71.* vertimus **אין בין:** liegt nichts in der Mitte, nempe: eo tempore subactos esse inimicos, Judaeosque ab eorum potestate liberatos. Locos, qui eadem fere iisdem verbis affirmant, ex R. Bechai, v. in Rhenferdi *Diss. II. de seculo futuro* §. 33. apud Meuschen p. 1143. et in *Vindiciis* §. 26. p. 1158.

⁴⁶⁾ v. Vitringae *Obff.* ff. I. II., c. 16.

⁴⁷⁾ de resipiscencia c. 9. §. 2. v. Jac. Rhenferdi *Diss. II. de seculo futuro* apud Meuschen p. 1136. et in *Vindiciis* huius sententiae, p. 1169. Similia plura v. apud Schöttgen *Jesus der wahre Messias* p. 729.

vniversus Israel cum prophetis et doctoribus desiderat tempus Messiae, ut liberarentur a seruitute gentilium, qui non promittunt illis lege, et pietate rite vacare, et ut requiem sibi inuenirent et proficerent in sapientia, quo tandem assequerentur seculum futurum. Hanc ob causam et quia, ut supra vidimus, tempora Messiae propinqua esse putabant, tempore Christi Judaei admodum proclives erant ad seditiones contra Romanos et breui post oriebantur factiones plurimae. cf. *Josephi Antiq.* XX, 6. de b. *Jud.* II. &c. *Suetonius Vespas.* c. 4. Percrebuerat Oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis ut eo tempore *Judaea profecti rerum potirerentur.* Id de Imperatore Romano, quantum euentu postea patuit praedictum *Judaei ad se trahentes rebellabant,* et *Claud.* c. 25. *Judeos impulsore Chreste assidue tumultuantes Roma expulit.*

Cognata vero huic opinioni est altera, qua Judaei Messiam sibi fingunt regem potentissimum, cuius sententiae vestigia nonnulla reperimus in narrationibus Euangelistarum de vita Jesu. Tribuebant illi ministros aulicos, quod faciunt ipsi Jesu discipuli, quum aliquo tempore eum aggredientes interrogant quis erit supremus iu regno tuo? (Matth. XVIII, 1.) Inde mater filiorum Zebedaei cum filiis a Jesu petit, ut hos duos filios ad latus suum sedere sinat in suo regno, qui locus in aulis principum Orientalium pertinebat viris in ciuitate post regem summis. (Matth.



XX; 20. sq.)⁴⁸⁾ Eandem ob causam turba, quae eum sequebatur et ab ipso cibis erat repleta, propensa erat ad capiendum eum, ut facerent regem, quia modo viderant signum euidentissimum potentiae eius, quod cum opinionibus, quas de Messia fouebant, optime conueniebat. (Joh. VI, 15.)⁴⁹⁾ Diferte eum appellat Messiam promissum, regem populi Israelitici Nathanael (Joh. I, 50)⁵⁰⁾; ac saepissime in N. T. occurrit nomen *βασιλεὺς τῶν ἥγανων*, siue τὸς Ἰησοῦς, quod si a Judaeis

⁴⁸⁾ Non est pugna inter hunc locum Matth. et parallelum Marc. X, 35. ubi narratur, Jacobum atque Johannem ipsos hoc dixisse, quum etiam Matthaeus refert, eos adfuisse, et fortasse matris petitionem repetierunt.

⁴⁹⁾ Felicitatem enim in regno Messiae comparabant cum epulo opulentissimo, quo omnes Judaei cum gentis suae conditoribus cibis fruerentur, atque varia de hoc epulo fabulabantur. Alludit ad hanc opinionem Jesus Matth. VIII, 11. 12. Cf. Eisenmenger entd. Judenth. P. II. c. 15. et Eckermann theor. Beitr. II. B. I. St. p. 129. sqq. qui locos allegarunt e Judaeorum scriptoribus, et Eckermann p. 136. hanc ideam ad explicandum dictum Matth. XVI, 19. adhibet.

⁵⁰⁾ Τίος οὐδὲς enim in nonnullis locis, ubi loquuntur Judaei, esse videtur appellatio Messiae, ut etiam C. XI, 27. ubi ὁ Χριστός et ὁ θίος τὸς Ιησοῦς ponuntur, ut dicunt, in appositione. Idem est, si ita eum appellant daemonici, v. c. Matth. VIII, 29. Marc. V, 7. Luc. VIII, 28. Alium adhuc sensum fortasse habent haec verba dicta, a centurione crucis Jesu adstante Matth. XXVII, 54. Marc. XV, 39. pro quo Lucae XXIII, 47. legitur αὐτὸς δικαῖος.

daeis usurpat, sine dubio denotat tempora Messiae ⁵¹⁾). Praecipue sub imagine Davidis regis illius felicissimi pii atque melioris cultus diuini instauratoris, Messiam sibi cogitabant, nisi locis V.T. vbi pollicetur Deus regem e gente Davidica oriundum populique seruatorrem (v.c. Ps. II, 6. Jer. XXIII, 5. 6. Jes. XI, 1.) Inde acclamabat ei, quum asino vectus Hierosolymam ingrederetur, populus: *Benedictum*

C 3

Etum

- ⁵¹⁾ Probe enim distinguenda est significatio huius formulæ, si a Judæis et a discipulis recens ad Christum adductis, et si a Johanne Baptista, a Christo ipso atque eius discipulis et apostolis seniora aetate usurpat. In ore priorum enim nihil aliud innuit, nisi *tempora Messiae regis gloriose regnaturi* Matth. XVIII, 1. XX, 21. Marc. XV, 43. Luc. XXIII, 51. idem quod *βασιλεία θεοῦ* Act. I. 6. Piis enim promittitur possessio regni eiusmodi Dan. VII, 18. Sapient. V, 17.— Ex usu loquendi posteriorum *βασιλεία τοῦ Θεοῦ*, sc. *τὸν θρόνον* transfertur in uniuersum ad nouam religionem a Messia instituendam, et significat vel religionem hanc ipsam, v. c. Matth. III, 2. Marc. 1, 15. in parabola de fermento Matth. XIII, 33. coll. XVI, 12. vbi fermentum est imago doctrinae, c. VI, 33. XXI, 43. et *βασιλεία θεοῦ* est synonymum *τὸν εὐαγγελίαν* Act. XX, 25. coll. 24. et utrumque permittatur Marc. X, 29. coll. parallelo Luc. XVIII, 29. cf. Noesselti Opusc. exeg. Tom. II, in additamentis ad Diff. 2. in Rom. 14, 17. vel felicitatem, quam haec religio cultoribus suis offert Matth. V, 3. Rom. XIV, 17. et iuprimis eam, quam post haec vitam sperare licet, Matth. VIII, 11. 12. Cf. Koppe Exc. I. ad Theff. Vol. I. p. 212—229. Schöttgen Diff. de regno coelorum in Horis Hebr. Tom. I, p. 1147—1152. coll. T. II, p. 22. sq.



Ecum sit regnum instans patris nostri Davidis; laudetur Deus! benedictus sit rex, qui venit nomine Dei! ⁵²⁾.

Fingebant porro, *Messiae ortum omnibus fore ignotum*. Hanc enim causam afferunt nonnulli Hierosolymitanorum, quum Jesum non pro Messia agnoscunt, dum: *de hoc scimus*, inquiunt, *vnde ortus sit*; *Messias vero quando veniet, illius ortum sciet nemo*; et ludibrii gratia quaerunt: *nonne hic homo idem est, quem quaerebant, ut occiderent; nunc vero libere docet, nemoque eum cohibet*; *an maiores nostri vere cognoverunt, illum esse verum Messiam?* (Joh. VII. 25. 27). Offendebantur enim incolae vrbis patriae eo, quod parentes et fratres eius fororesque nouerant, qui in vrbē illa habitabant, quod ergo origo illius iis erat nota. (Marc. VI, 3. coll. Matth. XIII, 55. sq.) Jesus vero ipse hanc opinionem in demonstranda veritate testimonii sui pro re sua affert (Joh. VIII, 14.) hoc modo: *Si de me ipso, inquit, testor, testimonium meum fide dignissimum est, qui noui, vnde venerim et quo abeam; vos vero neque vnde venerim, neque quo discedam, scitis*; et ita ostendit, hanc notam, quam *Messiae tribuerent, in se quoque quadrare*: — Hanc autem Judaeorum fuisse opinionem, probat *Trypho*, (apud *Justinum dial. cum Tryphone* p. 226. ed. Lang) qui ait: *Χριστος ει και γεγενηται και εις πλανην αγνωστος εστι, και εδε*

⁵²⁾ Marc. XI, 10. e lectione s. v. Griesbachii, qui omittit εν αρχαις Kugel coll. Luc. XIX, 38.

χρήσιμος πω εἰπούν ἐπιστάται, γέδε ἔχει δυναμίν
γίνεται, μεχρις αὐτελθεων Ηλίας χριστοῦ αὐτον καὶ
Φανερον πασιν ποιησται.

Solemnis enim quoque erat opinio Judaeorum, ante aduentum Messiae resuscitandum esse *Eliam*, qui ei praecurreret, pararet viam, eundemque a se vncium introduceret, teste eodem *Tryphone* (l. c. et p. 268): παντεῖς ήμεις τον Χριστον ανθρωπον προσδοκωμεν γενενθανει καὶ τον Ηλίαν χρισταν αὐτον ελθοντα. In libro *Chissuk Emma* c. 39. dicitur: *fuit res nota in gente Judaica, non adfuturum Messiam nisi post aduentum Eliae prophetae*⁵³⁾. Orta vero est haec opinio ex loco Maleachi (III, 23. s. IV, 5.) false intellecto, et firmata atque propagata Alexandrinorum interpretum auctoritate, qui verba hebraica, quorum sensus est: suscitabo vobis prophetam Eliae similem: claris verbis intelligunt de Elia ipso Thesbita, qui quondam propheta vixerat inter Israelitas, ut ex eorum versione patet: καὶ ἴδε ἐγώ ἀποστέλλω ὑμιν Ηλίαν τον Θεοβίτην κ. τ. λ. Eiusdem etiam vestigia reperiuntur nonnulla in libris N. T. Angelus enim, qui Zachariae filii natuitatem annunciasse narratur (Luc. I, 13. sqq.), inter alia etiam de hoc praedicat: *antegredietur Dominum Deum illorum ingenio ac virtute Eliae* &c. Inter quaestiones porro, quas Judaeorum antistites Johanni Baptista trans

C 4

Jorda-

⁵³⁾ v. *Wersten ad Matth. XI, 14.* cf. quoque *Lightfoot ad Matth. XVII, 10.* et *Schöttgen de Messia l. VI, c. 2. §. 1—5. p. 533. sqq.*



Jordanem baptizanti per legatos proponunt, etiam haec est: (Joh. I, 21.) *vtrum sit Elias, quem ante Messiam exspectarent?* — Christus quum de Johanne iudicium suum fert: *si vultis, inquit, eum accipere, is est Elias ille venturus* (Matth. XI, 14.); et discipulis ei obiicientibus: quid demum scripturae interpretes affirmant, Eliam antea esse venturum? respondet: *Omnino Elias antea venit, ut restituat omnia, sed affirmo vobis, Eliam iam adesse, homines autem eum non nouerunt*, ex quo intelligunt discipuli, Jesum loqui de Johanne Baptista. (Matth. XVII, 10 — 13. Marc. IX, 12. 13.) In iudicio quoque, quod populus de Jesu ferebat, haec opinio fese prodit, quum alii eum Eliam, alii alium prophetarum esse putarent (Matth. XVI, 14. Marc. VIII, 28.); item in interpretatione exclamationis Jesu ex cruce: *Eli, Eli, lama sabachthani!* ac si Eliam in auxilium vocasset. (Matth. XXVII, 46. 47.)

Non solum autem Eliam ante Messiae adventum exspectabant Judaei, sed *alios etiam prophetas, in primis Jeremiam.* Quaestioni enim: *vtrum Johannes sit Elias?* quam negat, Judaeorum legati statim addunt alteram: *esne propheta ille promissus?* per quem intelligunt sine dubio Jeremiam. (Joh. I, 21.) Et ab Judaeorum aliis Eliam, ab aliis Jeremiam aut alium veterum prophetarum fuisse exspectatum, patet ex Matth. XVI, 14. Marc. VIII, 28. quod Lucas IX, 19. eo clarius exprimit additamento: ὅτι προφῆτης Ιη

Τις των αρχαιων ανεστη. Idem testantur loci ex
Judeorum scriptoribus ⁵⁴⁾, v. c. *Sanhedrin*
fol. 92, 2. *Vox speculatorum tuorum vocem*
extulerunt, iubilabunt simul &c. — In vni-
uersum vero putabant Judaei, Messiae tem-
poribus *resuscitandos esse pios Israelitas*
atque ex omnibus terrae partibus conuocan-
dos. Tradunt enim Rabbini ⁵⁵⁾: *Tempori-
bus Messiae Deus S. B. viuificabit iustos eos-
que ex puluere excitabit; item:* ⁵⁶⁾ *Qui in
terra Israelis moriuntur, temporibus Mes-
siae viui futuri sunt, iusti vero, qui extra
terram Israelis moriuntur, ad eum peruen-
turi et vitam recepturi; nec non* ⁵⁷⁾ *Traditio scholae Eliae: Iusti, quos suscitabit
S. B. a mortuis, non redibunt iterum ad
puluarem suum, vbi in Glossa additur: quos
suscitabit Deus a mortuis in diebus Messiae.*
Judaei ergo ex hoc signo, quod in vero
Messia locum habitum esse affirmabant,
etiam persuadere sibi poterant, Jesum esse
verum Messiam, quum tempore mortis eius

C 5 e

⁵⁴⁾ v. Lightfoot ad Joh. I, 21.

⁵⁵⁾ Sohar Gen. fol. 81. coll. 319. v. Koppe Exc.
I. ad Ephes. Vol. I. p. 389. sqq. Eckermannus theol.
Beitr. 2 B. I. St. p. 73. sqq.

⁵⁶⁾ Pesikta Rabbarbi f. I, 4. v. libros citatos.

⁵⁷⁾ Sanhedrin f. 92. v. Lightfoot ad Matth. XXIV, 3.
et Wetst. ad h. I. Cf. quoque Rhenferdi Diff. II,
§. 18. sqq. apud Meuschen p. 1137. sqq. et
Schöttgen de Messia I. VI. c. 6. p. 569. sqq. Inde
etiam oritur desiderium Judaeorum, ut sepeliantur
in terra sancta, eo consilio, ut tunc temporis
proximi et inter primos essent v. Schöttgen I. c.
§. 27. p. 590. sqq.

et sepulchris per terrae motum apertis egrediabantur mortuorum multi rediuiui et a plurimis aspiciebantur (Matth. XXVII, 52. 53.). Et fortasse (audire enim a Jesu iamiam poterat, instare quondam communem mortuorum resurrectionem) fortassis, ergo inquam, animo Marthae haec nota erat infixa, dum Jesu affirmanti: fratrem esse resuscitandum, respondet: *Scio, eum esse resurrectum, quando omnes temporibus ultimis in vitam redibunt* (Joh. XI, 24.). — Dicit hoc loco: temporibus ultimis; opinio enim erat vulgaris, *cum aduentu Messiae coniunctum esse finem huius mundi*, tunc omnia esse renouanda ac simul iudicium de omnibus feren-
dum. Hanc apud Judaeos valuisse persuasio-
nem, vidimus ex hocce loco ⁵⁸⁾: *Elias dixit R. Judae fratri Salla pii, mundum non minus quam 85 Iubilaeos duraturum et tempore ultimi iubilaei venturum filium Davidis*; et Jesu discipulos idem credidisse, ex eorum interrogatione: *quodnam est signum aduentus tui et finis huius mundi?* ⁵⁹⁾ vbi vtrumque ceu simultaneum coniungunt. Ad illam de iudicio opinionem allusisse videtur
Jesus

⁵⁸⁾ Sanhedrin fol. 97. 2. v. Lightfoot ad Matth. II, 1. p. 201. Wetstein ad Matth. XXIV. 3. Cf. etiam Lightfoot ad h. l. et Schöttgen l. V. c. 2. §. 34. p. 521. et LVI, c. 6. §. 23. p. 588.

⁵⁹⁾ Matth. XXIV. 3. Marc. XIII, 3. 4. Luc. XXI, 7. Αἰών enim h. l. significare mundum, nemo in dubium vocabit, quem eodem sensu usurpatur Matth. XIII, 39. c. XXVIII, 20. Hebr. 1, 2. II. 3. ut hebr. וּלְמָן.

Jesuſ (Joh. XII, 31.) vbi, nunc, inquit, iudicium habetur in homines huius aetatis, et princeps huius mundi eiicietur foras, et (c. XVI, 8. II.). Si monitor, quem vobis mittam, veniet, certiores reddet homines de iudicio, principem nempe huius mundi esse puniendum⁶⁰⁾; et fortasse etiam Matth. XVI, 27., propter versum sequentem, vbi diserte affirmatur, nonnullos, qui tunc eum audirent, adhuc fore superstites, ut ergo v. 27. sermo non possit esse de iudicio extremo; item Matth. XIX, 28. coll. Sap. III, 8. 1 Cor. VI, 2. Sic quoque R. Kimchi ad Mal. III, 23. Si Deus Eliam in vitam reuocabit, mittet eum ante diem iudicii, qui est dies ille magnus ac terribilis Dei, ad populum Israelem et admonebit hic patres atque liberos, ut se ad Deum conuertant; qui vero se conuertunt, a die iudicii seruabuntur⁶¹⁾. Et inter alia discipulos cum aliis statuisse, templi vastationem fore initium regni Messiae, inde colligere licet, quod ex effato Jesu (v. 2.) non relinquendum esse lapidem super lapide, qui non destruatur, occasionem sumant, eum hac de re interrogandi. Ac tales Judaeorum opinionem inuenimus in Hierof. Berachoth f. 5, l. 62): Illo die, quo natus est rex Messias, destructum est

⁶⁰⁾ Eckermann I. c. p. 125 sqq. qui locum uberiorius explicat.

⁶¹⁾ ibid. p. 165.

⁶²⁾ v. Lightfoot ad Matth. II, 1. et Schöttgen de Messia I. V. c. l. p. 505. et l. VI, c. l. p. 527. sqq.

est templum; et in narratione, quae sequitur,
Arabs quidam monet Judaeum arantem, ut
soluat boues et aratra, vastatum enim esse
templum, et eadem repetiens, addit: nam
ecce natus est rex Messias. — *Praeter haec*
signa vero multo alia praegredi aduentum
Messiae statuebant ⁶³⁾; *v. c. dicitur Sohar*
Exod fol. 4, coll. 13. 14. ⁶⁴⁾: *Ilo tempore*
tota terra, sicut olim, contremiscet, ab uno
termino caelorum usque ad alterum, et tunc
totus mundus cognoscet, quod rex Messias
reuelatus sit in terra Galilaea, et congregabunt
se ad illum, qui legi operam dant,
et hi sunt paruuli in mundo; item tunc tem-
poris populum magnis calamitatibus premi
et in primis valde fore corruptum ⁶⁵⁾.

Quum tandem aduenerit Messias, ex illorum opinione *miracula multa patrabit*, in primis signum e coelo hominibus dabit. Hanc ob causam Pharisaei eum tentandi gratia tale signum e coelo ab illo petunt (Matth. XVI, 1. Marc. VIII, 11) de quo Christus ipse questus est (Luc. XI, 29. Joh. IV, 48); et ex eodem fonte fluit desiderium populi, ut Jesus miraculum aliquod fibi ostendat, ex quo cognoscant atque credant, eum esse

⁶³⁾ Cf. Corrodi Gesch. d. Chil. P. I, p. 299. et Sect.

12 tot. p. 293. sqq. Von den Zeichen seiner Ankunft. Schöttg. I. V. c. 2. p. 509. sqq. Eichhorn Allg. Bibl. d. bibl. Litr. 3 Bd. 4 St. p. 685—689.

⁶⁴⁾ v. Schöttgen I. VI, c. 2. §. 14. p. 541.

⁶⁵⁾ Schöttgen I. V. c. 2. et Meuschen p. 14. sqq. Koppe Exc. II. ad Theff. p. 230 sq.

esse Messiam (Joh. VI, 30. cf. 1 Cor. I. 22). Nonnulli, qui Jesum pro Messia agnoscebant, diserte dicunt: *Si Messias ille promissus veniet, an miracula patrare potest maiora his, quae hic homo patrat?* (Joh. VII, 31.) Et homines hac opinione imbuti ex responsione, quam Jesus dabant legatis a Johanne Baptista (Luc. VII, 22. sq. Matth. XI, 4. 5.) ad se missis: *coeci vident, claudi ambulant, leprosi purgantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelium docetur;* facile colligere poterant, Jesum, qui talia ederet signa, quae a Messia suo exspectabant, verum esse hunc Messiam. Persuasi, tali modo animos ciuium eo facilius capi, impostores eiusmodi miracula patrare posse gloriabantur, v. c. Theudas (Joseph. Ant. XX, 2.) Moses Cretensis (Socrates H. E. VII, 38.), et alius quidam (Joseph b. Jud. II, 12. coll. Act. XXI, 38.) *Abarbanel*⁶⁶) quoque inter decem conditiones, fine quibus, si quis non impleuerit, Messiae titulo nemo possit decorari, ponit sextam, signa et miracula. quae rex Messias patraturus sit contra naturam; et ad nonam conditionem inter alia requirit multiplicationem signorum prodigiorumque. In libro *Sohar Exodi* fol. 3. coll. 12. dicitur: *Eo tempore, quo excitatitur rex Messias, multi prodigia et alias huius generis signa in mundo erunt*⁶⁷); licet

Judei

⁶⁶) ad Jes. XI, 10. sqq. v. *Vitrinæ Officij* f. I. II.
c. 16. p. 479. sqq.

⁶⁷) v. Schöttgen I. III, Thes. 3. p. 375. et I. II. p. 172. sq



Judaei recentiores, v. c. Maimonides (*de fundamento legis* c. 8. §. 1.) negent, miracula esse signum Messiae necessarium, quia miracula Jesu Christi negare non poterant, eorum vero auctoritatem diminuere studebant.

Eundem vero Messiam hostibus fugatis pacem diuturnam atque uniuersalem dare hominibus, sibi persuadebant, teste R. Elieser, qui: *usque ad tempus Messiae, inquit, bella non desinent, sed non nisi in mundo futuro*⁶⁸⁾. Jesus autem diserte huic opinioni contradicit his verbis (Matth. X, 34. Luc. XII, 51): *Nolite putare, me venisse, ut conciliarem pacem in terra; non veni conciliatum pacem sed bellum.*

Denique haec omnia nullo tempore finem habitura, sed *Messiae regnum in aeternum esse duraturum*, firmiter credebant. Huius opinionis vestigia inesse videntur in verbis, quibus angelus Mariae annunciat, illam matrem fore Messiae, dum de filio, quem partitura erat, inter alia dicit: *Regnabit ille in domum Jacobi per omnia saecula, nec imperii sui ullus erit finis* (Luc. I, 33.). Ex narratione Johannis (XII, 34.) populus Jesu, quum de exaltatione corporis sui cum iis loquitur, obiicit: *nos audiuimus e libris sacris, Messiam mansurum esse in aeternum, hisque verbis clarissime spem suam prodit.* Et doctores alii idem affirmant; v. c. *Sanhedrin* fol. 92, 1. allegatur traditio scholae Elianae: *Justi illi, quos Deus S. B. excita-*

⁶⁸⁾ v. Eckermann th. B, I, c. p. 72.

tabit, non redibunt in puluerem⁶⁹⁾. — Seriores vero Judaeorum magistri certo defini-
nire studuerunt, quot annos hoc Messiae
regnum sit duraturum. Antiquissima inde
enata est opinio de regno quodam millena-
rio, quae postea a variis vario modo mutata
est atque illustrata. Alii enim affirmant, hoc
imperium staturum esse 40 annos, alii 70,
alii 365, alii 400, alii 600, alii 2000, alii
7000, alii tot dies, quot effluxerunt a die,
quo creatus est mundus, usque ad hodie-
num, alii quot praeterlapsi sunt inde a
Noacho huc usque, alii denique aliter. Opus
perdere vero mihi videtur, hic colligere
locos omnes Rabbinorum ad stabiliendas has
fententias, quum iam collectos eos inueni-
mus in libris *Corrodi*⁷⁰⁾, *Eisenmengeri*⁷¹⁾,
atque *Meuschen*⁷²⁾.

Si ergo ex his, quae adhuc diximus
probauimusque, complexis notionem Judaeo-
rum de Messia elicere volumus, optime hoc
faciemus cum *Hessio*⁷³⁾, qui eam ita fere
exprimit: „Filius Daudis, rex et seruator
„Israelis venit, partim ut colligat Israelitas
„in omnes terrae regiones dispersos et in
„pa-

⁶⁹⁾ v. Schöttgen I. VI. c. 6. §. 23. p. 587. sqq.
Cf. Corrodi Gesch. d. Chil. P. I. p. 379.

⁷⁰⁾ I. c. P. I. Sect. 4. *Dauer der Tage des Messias*.

⁷¹⁾ I. c. P. II. c. 15. *Wie lange der Messias regieren wird*, p. 809. sq.


⁷²⁾ I. c. ad Matth. I, I. p. 32. sq. et Rhenferdi Diff.
II. §. 38. ib. p. 1145.

⁷³⁾ Ueber die Lebre, Thaten und Schicksale unsers
Herrn, Abschn. 5.



„patriam reducat, partim ut hostibus super-
 „ratis, reddat illos florentissimos dominos
 „que terrae. Elias eum antecedit, paratque
 „viam regi huic maximo. Ortus eius tene-
 „bris latet; tantum notum est, illum nasci-
 „turum esse Bethlehemi. Miracula magna
 „ab eo exspectare licet, in primis signa e
 „coelo. Ostendo hac ratione senatui popu-
 „loque iure suo ad summam capiendam di-
 „gnitatem, incipit opus seruationis debel-
 „landis populis supra Israelitas elatis, et
 „tandem thronum Dauidis ascendit Hiero-
 „solyma, atque rempublicam condit nullo
 „tempore perituram.“

Caeteras vero nugas atque fictiones Ju-
 daeorum de Messia venturo adscribere non
 opus mihi videtur, quum iam alii, praecipue
Schöttgen et Eisenmenger, id antea fecerint,
 et quum eiusmodi tractandi ratio a consilio
 nostro abhorreat, quia solummodo proposi-
 tum erat nobis, eas Judaeorum de Messia
 notiones colligere, quarum vestigia reperi-
 mus in N. T., atque ex locis hebraicis pro-
 bare, has re vera a Judaeis creditas esse.
 Haec ergo, quae adhuc diximus, hac in re
 sufficient. Supereft, ut nunc ostendamus,
 quidnam Jesus fecerit, ut huic opinioni de
 regno suo peruersae occurreret, et quemnam
 fructum discipuli ex magistri institutione hac
 de re hauserint. Quae vero D. V. mox alia
 addemus occasione.



三

45

VI, 30. cf. I Cor. I, 22).
pro Messia agnoscebant,
Messias ille promissus
la patrare potest maiora
patrat? (Joh. VII, 31.)
nione imbuti ex respon-
dabat legatis a Johanne
22. sq. Matth. XI, 4. 5.)
vident, claudi ambulant,
furdi audiunt, mortui
es euangelium docetur
erant, Jesum, qui talia
Messia suo exspectabant,
Messiam. Persuasi, talis
in eo facilius capi, im-
miracula patrare posse
Theudas (Joseph. Ant.
ensis (Socrates H. E. VII,
m (Joseph b. Jud. II, 12.
) *Abarbanel*⁶⁶) quoque
tiones, sine quibus, si
t, Messiae titulo nemo
it sextam, signa et mi-
ssias patraturus sit contra-
onam conditionem inter-
cationem signorum pro-
bro *Sohar Exodi* fol. 3.
Eo tempore, quo excita-
multa prodigia et alia
*in mundo erunt*⁶⁷); licet
Judaei
q. v. *Vitrinæ Obs. f. I. II.*
ies. 3. p. 375. et l. II. p. 172. sq.